



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

74. An Regulares possint absolvere à percussione enormi Clericoum,
quando est occulta? Et an Regualres priuilegiati possint etiam hodie
absolvere sæculares à casibus Bullæ Cœnæ Domini, dummodo sint ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

Ob Clerici percussione. Ref. LXXIII. &c. 165

est odium : ergo strictè est interpretanda. Et ita docent plures, & cum ipsis Avila loco citato.

6. Adverte etiam cum Castro Palao tom. 6. disp. 3. punct. 23. §. 4. num. 20. quod pro prædictis duo advertenda sunt. Primum, non esse concedendam hujus excommunicationis absolutionem, quin excommunicatus prius parti læsæ satisfactionem præstet, quantum commodè possit. Secundum in eventu, quo quis absolvitur ob temporale impedimentum, exigi debere juramentum comparendi coram Sede Apostolica, vel aliâ auctoritatem absolvendi habente. Quod si postmodum non comparuerit, in similem excommunicationem incidet, juxta textum in cap. Eos qui, de sent. excomm. in 6.

RESOL. LXXIII.

An Episcopus possit absolvere Religiosos, si se invicem percusserint, vel an sit necessaria licentia Superioris Regularis?

Et quid, si percussio sit gravis, aut enormis? Et quid est dicendum, si Prælatus Regularis nolit per se, vel per alium concedere absolutionem?

Et notatur, quod idem dicendum est de Monialibus, si aliqua aliquam aliam etiam Conversam, aut Clericum percusserit: quod potest absolvi ab Episcopo in cuius Diocesi Monasterium fuerit.

Idem est etiam dicendum de Monialibus Novitiis. Ex p. 9. tract. 4. Ref. 54.

§. 1. R. I. Respondet affirmative cum licentia Superioris Regularis, si percussio sit levis tantum, & non gravis. Ita Molina tr. 6. disp. 61. n. 4. Avila de censur. p. 2. c. 7. disp. 1. dub. 6. Sanchez in Summ. tom. 1. lib. 4. c. 39. n. 3. & seqq. Et colligitur ex c. Luminoso, 18. q. 2. ubi habetur, Episcopum posse exercere jurisdictionem de consensu Abbatis in Monasterio exempto. Neque obest, hanc exemptionem Religioni concedi: nam ipsam Religio censetur medio Prælato in subjectionem Religiosi Episcopo factam, utpote sibi convenientem. Quod si Prælatus Regularis absit, & scilicet presentia, & licentia desit, poterit Episcopus in defectu ejusdem Prælati, si non ex vigore juris, saltem ex equitate, dictos Regulares exemptos absolvere, ne sint deterioris conditionis, quam alii omnes. Verum, si Prælatus regularis nolit per se, vel alium absolutionem concedere; inspicendum est, an iuste eam denegat, vel iniuste. Nam, si iuste, eod quod atrocitas delicti petat cogere Religiosum Sedem Apostolicam adire; nequaquam poterit Regularis à Diocesano absolvi. At si manifestè constet iniuste absolutionem denegare, (quod raro, vel nunquam continget,) poterit Religiosus se Episcopo subijcere, & ab eo absolutionem obtinere: quia eo casu censetur Religio, vel Pontifex jurisdictionem Diocesano concedere: tum quia Superior regularis exemptione abutitur: tum, quia sic Religiosus iniuste vexatur, illiusque exemptio cedit in Religionis præjudicium. Vide Molin. disp. 61. Sanchez in Summ. tom. 1. lib. 4. cap. 39. Castum Palao to. 6. disp. 3. punct. 23. §. 4. n. 11. & seq. cum Boffo in discip. mor. de jur. discip. 1. dub. 1. §. n. 199.

2. Nota, quod idem dicendum est de Monialibus, si aliqua aliquam etiam Conversam, aut Clericum percusserit, quod, scilicet, potest absolvi ab Episcopo, in cuius Diocesi Monasterium fuerit, cap. de Monialibus, ubi Gloss. fin. de sent. excomm. & ibi scribentes Sylvest. in Summ. verb. Absolutio, 4. num. 3. Sayras de cens. lib. 3. c. 28. num. 12. & alii. De Novitiis autem Monialibus idem dicendum est, quod scilicet, si percutiant aliquam Monialem, vel alteram Novitiâ, possunt absolvi ab Episcopo. Et ita docet Fragor. de Rep. Christ. tom. 2. lib. 1. disp. 2. §. 3. num. 55.

RESOL. LXXIV.

An Regulares possint absolvere à percussione enormi clericorum, quando est occulta?

Et an Regulares privilegiati possint etiam hodie absolvere seculares à casibus Bullæ Cœne Domini, dummodo sint occulti? Ex part. 9. tract. 4. Ref. 65.

§. 1. A. Affirmative responder Fagundez in quinque præcepta Decalogi, præcept. 2. Eccles. lib. 8. cap. 8. num. 29. ubi sic ait: [Ex dictis inferitur, quoties delictum perpetratum est coram quinque, adhuc esse occultum: & si in vicinia, aut loco, vel Collegio ad minimum sint decem, non sufficere quinque, ut publicum dicatur; sed oportet, ut notum sit sex; quia tunc jam est majori parti notum. Unde patet, posse Episcopos, & Regulares ad id privilegium habentes absolvere ab excommunicatione Canonis, si quis suadente, etiam si læsio sit enormis, & gravis, modò sit occulta aliquo ex prædictis modis. Et parum refert, quod reus laboret infamia: nam id quod aliqua tergiversatione celari potest, licet homo laboret infamia adhuc dicitur occultum: quia opponitur notorio. Et id in hoc foro conscientie dicitur occultum, quod nondum publicum, aut notorium juris est: illud, quod nulla tergiversatione celari potest, ut bene etiam notat Graphius lib. 1. decisumum aurearum, cap. 13. num. 43. & Sotus de tegendo secreto, memb. 2. vel quod notum non est majori parti vicinæ, oppidi, aut Collegii. In una tamen civitate magna, non sufficit, quod crimen notum sit decem, aut undecim, ut notorium dicatur, ut patet.] Ita Fagund.

quem novissimè sequitur Pellizarius in Man. Regul. tom. 2. tract. 8. cap. 3. sect. 2. subsect. 2. n. 87. ubi sic ait: [Quæres, * an, & quomodo Regulares vi suorum privilegiorum possint absolvere seculares à quinque casibus contentis in decreto derogatorio. Clem. VIII. à nobis relato q. præced. supposit. 2. Respondetur, non posse, si sint publici, ac notorii: id enim constat ex tenore præfati Decreti, quod ad minimum debet de his intelligi: si verò sint occulti, non videri aliquibus improbabile, quod Regulares possint ab iis absolvere: idque ex doctrina, quam tradidimus quæst. præced. supposit. 4. quamque approbans Fagund. Præcept. Eccl. lib. 8. cap. 3. n. 29. disertis verbis docet, Episcopos, & Regulares ad id privilegiatos posse absolvere ab excommunicatione, si quis suadente, etiam si læsio sit enormis, & gravis, modò sit occulta: quod idem sine dubio, si velit consequenter philosophari, debet à Fagundez concedere etiam de aliis 4. casibus in præfato Decreto derogatorio contentis; cum sit par ratio de his, ac de illo, quem concedit de facto. Ratio autem, quâ nituntur isti recentiores, est; tum, quia Regulares privilegiati ex dictis præced. quæst. supposit. 4. possunt absolvere à casibus Papalibus occultis; & cum talis potestas non extendatur ad casus Bullæ Cœne: ob rationes adductas quæst. præced. nec sit necessaria ad alios casus Papales in dicto Decreto non comprehensos, (cum ab his simpliciter, & absolute possint absolvere, juxta dicenda infra, quæst. sequenti,) ea saltem debet extendi ad hos quinque casus; alioqui esset omninò inutilis: tum, quia restrictio privilegiorum, ut odiosa debet interpretari, ita ut minus iis derogeret, quam fieri possit: hoc autem fit in casu nostro, si Decretum Clem. VIII. præallegatum ita explicemus, ut dicamus, per illud auferri facultatem absolvendi à supradictis quinque casibus, non quidem absolute, (quod esset omninò derogare privilegiis Regularium,) sed solum in casibus publicis, aut notoriis, non item occultis: quo modo utique quam minimum derogatur dictis privilegiis. Ita dicti Recentiores:

* Sup. hoc tam pro Regularibus, quam pro Episcopis supra in Ref. 64.

Sup. hoc magis late sup. in Ref. 58. & in aliis ejus annot.

* Sup. hoc in tom. 7. tr. 1. Ref. 268. & in aliis ejus primæ not. & ex latè doctrina Ref. 271. cursum sed resolutivè in §. Sed postea, ante mediū, verè. §. Verū non definam, & si placet à principio dictæ Ref.

Recentiores : quam probabiliter, ipsi viderint, aliique iudicet. [Hucusque Pellizzarius; qui tamen postea in c. 6. sect. 3. n. 189. sine ulla trepidatione tenuit absolute sententiam Fagundez. Sed ego prorsus teneo, non esse recedendum à sententia negativa, quam approbat stylus Curiae & verba decreti Clementis VIII. sunt satis clara, & absolute, & sine ulla distinctione prolata. Vnde caveant Regulares; sententiam affirmativam in praxim deducere: nam ex illa sequeretur, quod etiam possent absolvere saeculares à casibus Episcopo reservatis, si essent occulti: nam eodem pacto Pontifex loquitur de illis quinque casibus Papalibus, ac de casibus Episcopis reservatis. Ergo, &c.]

Sup. hoc in
Ref. 1. not.
præterita,
&c.

Sup. hoc inf.
in tract. 8.
Ref. 19. & in
alio ejus
prime an-
not. & etiam
secundæ, &
tertiæ.

2. Nota etiam hic incidenter, non deesse viros doctos, asserentes, Regulares privilegiatos, posse etiam hodie absolvere saeculares à casibus Bullæ Cœnæ, dummodo sint occulti; quorum rationes adducit Pellizzarius, ubi supra, num. 72. & seqq. Qui tamen recte asserit, non esse recedendum à contraria sententia, nempe non posse Regulares absolvere à dictis casibus, neque publicis, neque occultis.

RESOL. LXXV.

An Regulares possint absolvere saeculares, qui percusserunt Clericum levi percussione? Ex p. 9. tract. 4. Ref. 53.

§. 1. **N**egativè respondet noster Pater Leone de cens. collect. 5. num. 350. ubi sic ait: [Licet Regulares virtute suorum privilegiorum de absolvendis ab omnibus censuris, etiam Papæ, extra tamen Bullam Cœnæ, reservatis, poterant olim absolvere, percussores Clericorum, non solum quando percussio esset levis, ut potest Episcopus, & loquitur Rodriquez part. 1. q. 9. Reg. 9. 6. 1. art. 8. sed etiam quando erat gravis, vel mediocris, ut loquitur Ioan. de la Cruz lib. 2. de statu religionis, & privilegiis ipsius, cap. 7. dub. 1. per totum: hodie tamen ob Decretum Clem. VIII. de absoluteione à casibus reservatis, sub die 26. Novembris 1602. non possunt absolvere, non solum quando dicta percussio est gravis, vel enormis; sed neque quando est levis, nisi habeant facultatem circa casus Episcopo reservatos, aliàs incurrunt excommunicationem.] Ita ille.

2. Sed affirmativam sententiam tenet Pater Lezana in sum. tom. 3. verb. Clericus, n. 18. ubi asserit: [Ab hac excommunicatione contracta ob percussione Clerici, vel Monachi, si percussio sit levis, si mediocris, si vel etiam enormis, absolviunt illi Confessarii, qui facultatem habuerint absolendi à casibus Papalibus, quales sunt aliqui Regulares. Quia tamen in Decretis Sacræ Congreg. sub Clement. VIII. ibi adductis declaratur, quod per universam Italiam extra Urbem, non possint uti dictis privilegiis quoad hunc casum injectionis violentarum manuum in Clericos: idcirco solum possunt uti illis in Urbe, & in aliis Regularibus extra Italiam. Similiter, quia in posteriori Decreto Sacræ Congreg. in quo moderatè est prius, dum de huiusmodi casu dicitur non posse absolvi à Confessario virtute quorumcumque privilegiorum, sic habetur: Injiciendum violentas manus in Clericos, juxta Can. Si quis suadente, 17. q. 4. ac juris dispositionem: cum juxta juris dispositionem in cap. Pervenit de sent. excom. levis percussio Clerici non sit Papæ reservata, sed Episcopo delegata aut commissa; idcirco videtur posse absolvere, etiam intra Italiam ab excommunicatione contracta per levem percussione Clerici præfatos Regulares habentes dicta privilegia.] Hæc Lezana, cui adde Naldum in sum. verb. Clericus, num. 39. sic aientem: [Clerici percussio nuper Summo Pontifici reservata quoad omnes Confessarios, tam saeculares, quam

Regulares, ne ab illa in vim suorum privilegiorum possint absolvere, provi in Decreto Clem. VII. casus, in fine, videtur intelligenda de mediocri, & gravi, non etiam de levi, ex quo illa extenditur ad mandantem consulentem, &c. id enim satis innunt verba ejusdem Decreti ibi, juxta juris dispositionem, per quam extenditur Canon, Si quis suadente. Liqueat autem, per eandem juris dispositionem Episcopo, & non Summo Pontifici reservari percussione levi, ut habetur expressè in cap. Pervenit, de sent. excom. idcirco ab ipsa, ut pore Sedi Apostolicæ non reservata, poterunt absolvere Confessarii habentes privilegia absolendi à censuris in jure Episcopo reservatis, cum per eandem privilegia concedatur ipsis facultas absolendi à reservatis Summo Pontifici, præter exceptas in prædicto Decreto, argum. cap. Cui conceditur, de regul. jur. in 6.] Ita ille. Verum, quia audio Sacram Congregationem Episcoporum, & Regularium die 18. Julii 1642. quandam declarationem circa hoc evulgasse, illam consulendam esse puto.

RESOL. LXXVI.

An si in Monasterio sit tantum Superior & alii Religiosi, & se invicem percusserint, possint se invicem absolvere?

Et an in hoc casu se invicem absolviendo, neque peccatum participando in divinis, neque irregularitatem supradicti incurrant?

Sed advertitur, quod prius absolvens non absolvat Sacramentaliter, hoc est etiam à peccatis, sed tantum extra Sacramentum, & ab excommunicatione tantum præcisè, deinde absolutus prius potest ab utroque absolvere. Ex p. 9. tract. 4. Refol. 52.

§. 1. **D**ifficultas est: quia in tali casu videtur, quod Prælati nequit subditum absolvere, cum sit innodatus vinculo excommunicationis, & idcirco habeat impeditum usum jurisdictionis spiritualis, ut docent communiter Doctores, per text. in Can. Audivimus, 24. q. 1. & cap. 1. de offic. Vicar. in 6. & cap. Scitis, cui de offic. deleg. eod. lib. 6. & ex c. 1. de suppl. neglig. Prælat. eod. lib. 6. & c. Prudentiam, §. 6. de off. deleg. & cap. duobus de sent. excom. Item eadem ratione nec etiam potest subditum in Confessorem eligere, quia subditus excommunicatus est, idcirco eligi non potest.

2. Hoc tamen non obstant, aliqui respondent ad casum propositum affirmativè: quia, licet de jure communi excommunicatus non possit alium pariter excommunicatum absolvere, ex notatis in c. Audivimus 24. q. 1. in casu tamen necessitatis, ubi non est alius Religiosus, qui possit eos absolvere, potest alius excommunicatum alium excommunicatum absolvere, quamvis contrarium sentiat Suarez de censur. disp. 21. sect. 1. n. 79. dicens, Abbatem percipientem suum subditum, si habeat Superiorem regularem, posse quidem ab eo absolvi: si verò non habeat, tunc Episcopus debet illum absolvere: quod probat ex c. Monachi, ibi: Quod si discretio Abbatis non sufficiat, ab Episcopo est adhibenda correctio. Tunc enim maxime non videtur talis Abbatis discretio sufficere: quia non est ipse conveniens Iudex in propria causa: ergo absolvendus est per Episcopum. Sed tu tene nostram sententiam, quam tuetur Bossius in discept. mor. de jur. discept. 1. dub. 19. n. 194. cui adde Patrem Bordonum in conf. Reg. tom. 1. ref. 28. n. 57. ubi ait, quando alter non est valens absolvi, potest Superior facere facultatem subdito, ut scilicet absolvat, & vice versa potest Superior casus suum subditum absolvere: quia is censetur casus suum subditum absolvere: in quo lex servari non potest, ac proinde necessitatis, in quo lex servari non potest, neque de neque peccatum participando in divinis, neque irregularitatem.